

sum constituitur, quoad exercitium et usum.

XXVI. Quæ pertinent ad mysteria gratiæ quomodo ab Angelo cognosci possint, non habent peculiarem difficultatem præter illam, quæ tractari solet in materia de incarnatione, quomodo illud mysterium sit naturaliter ignotum omni creato intellectui? Eadem enim ratio est de aliis misteriis. Ubi Deo dante tractabitur et aliquid etiam attingetur in materia de fide, et supra agendo de cognoscibilitate Trinitatis insinuatum est.

#### ARTICULUS IV.

*Utrum Angelus possit intelligere aliquid discurrendo, vel componendo, et dividendo?*

Multa quæ pertinent ad modum intelligendi in Angelo, ex his quæ tractavimus de modo intelligendi hominis in libris de anima, quæstione XI, hic explicanda sunt, ut quod non possit simul plura ut plura intelligere, et quid sit plura intelligere ut plura, vel per modum unius. Quomodo etiam eis non competat discursus, neque compositio et divisio, sed hoc sit proprium hominis et intellectus rationalis, non intellectus perfecti, qualis est angelicus; ideo breviter difficultas proposita a nobis expedienda est.

#### QUID SIT SUPPONENDUM.

I. Supponendum est, quid requiratur ad rationem veri discursus, veramque compositionem et divisionem. Ex eodem enim principio nascitur, quod aliquis intellectus sit discursivus circa propositiones inferendo veritatem unius ex aliis, et quod sit compositivus circa terminos, formando ex eis propositiones

et iudicium, videlicet quia talis intellectus procedit in cognitione et manifestatione veritatis de imperfecto ad perfectum, seu de potentia ad actum, ita quod uno cognito statim cognoscit alterum, neque convenientiam hujus cum illo, sed ex illo prius vel magis noto procedit ad aliud minus notum, ita quod illud prius illuminet et inducat in hoc posterius. Et non agimus hic de discursu objectivo tantum, seu ex parte objecti se tenente, sed ex parte subjecti, ita quod ipsum subjectum, seu ipsum cognoscentem denominet discurrentem. Cognoscere enim discursum ex parte objecti, ita quod cognoscatur discursus ab alio factus tamquam res cognita, vel cognoscatur aliquod objectum esse capax, ut discurratur circa illud ab intellectu utente discursu, ita quod ibi cognoscatur ratio causæ et effectus, seu unum esse notius altero, ita quod possit esse ratio illuminandi alterum, hoc etiam simplici intuitu potest cognosci, et a Deo, et ab Angelo, nec tamen per hoc constituitur et denominatur discurrens.

II. Loquendo ergo de discursu ex parte subjecti se tenente et denominante intellectum discurrentem, duplex distinguitur discursus a D. Thoma supra q. XII, art. VII, scilicet discursus secundum successionem, et secundum causalitatem. Discursus secundum successionem, est cum intelligimus unum postquam intelleximus aliud, ita quod non simul utrumque cognoscimus. Et sic talis discursus non est aliud quam negatio simultatis in cognoscendo plura, sed unum post aliud. Discursus secundum causalitatem addit supra successionem cognoscendi, quod una cognitio causetur ex alia, ita quod ex uno noto seu cognito moveamur ad aliud ignotum ex vi prioris cogniti et manifestati; et sic

manifestatio unius debet esse causa manifestationis alterius, non solum quia unum objectum illuminat aliud (hoc enim etiam in simplici intuitu plura objecta attingente obtinere potest) sed quia ipse cognoscens prius illuminatur circa unum, et in illo nondum illuminatur circa aliud, sed movetur ad educendum ex illo aliud lumen, seu manifestationem alterius. Non ergo sufficit ad discursum illud lumen, quod plura manifestat; etiamsi prius unum, et postea aliud, quia si eodem lumine utrumque attingitur, totum hoc pertinet ad simplicem intuitum, quia pertinet ad eandem manifestationem, et lumen, seu notitiam, licet sint diversa manifestata ordine quodam, sicut oculus eodem lumine plura videt et unum per aliud, quia ordine quodam attinguntur ex parte rerum visarum, et similiter Deus plura attingit unico lumine. Requiritur ergo ad discursum quod sit diversitas, et ordo etiam in ipso lumine ut tenet se ex parte cognoscentis, et unum lumen oriatur ex alio, sicut ex lumine principiorum oritur lumen scientiæ, ita quod primum lumen non sufficit ostendere per se ea quæ inferuntur, sed habet se ut lumen probativum, id est, quod manifestat alterum per deductionem et illationem unius luminis ex alio, quia primum non est sufficienter in se comprehensivum totius. Unde fit quod requiritur ad discursum ex parte subjecti duplex cognitio seu manifestatio, et quod unum sit causa alterius, deducendo manifestationem unam ex alia, ita quod in prima manifestatione non attingatur actu secundum; quas duas conditiones ad discursum ponit S. Thomas I contra gent. c. LVII, et eodem modo id explicat in hac quæstione LVII, a. III ad I. An vero requiratur successiva duratio inter istas

duas cognitiones, ita quod non possit discursus unico instanti perfici, vel etiam requirantur plures actus, non solum in ratione diversi luminis, sed etiam entitative diversi ad discursum, non multum interest, quamvis hoc secundum magis per se requiratur, eo quod in nobis propter limitationem intelligendi non reperitur quod idem actus, seu entitas ita sit eminens, quod includat duplex lumen, alterum per se principiorum, alterum illativum conclusionum, sed si unum lumen causatur ex alio, diversa entitate id fit. Quod vero in eodem instanti durationis totus discursus fiat vel pluribus, parum interest, et materialiter ad discursum se habet, dummodo plura lumina, seu actus quorum unus deducatur ex alio, concurrant.

III. Ex quibus colliges multas cognitiones non esse discursivas, in quibus tamen unum cognoscitur in alio, vel per aliud ex parte rerum cognitarum, quia tamen non ex parte luminis, seu actus ista diversitas habetur, ita ut unum deducatur, et derivetur ex alio probativo, et illativo modo, non habentur per discursum, sicut visio rei in speculo, rei repræsentatæ in imagine, visio coloris mediante luce, cognitio rei in testificatione seu auctoritate dicentis, omnia hæc non attinguntur discursu, sed simul seu unico lumine, non uno lumine probativo alterius, et deducto ex alio lumine; nec enim testificatione probamus, aut ex illa deducimus rem creditam: sic enim non esset credita, sed probata. Nec obstat quod aliquis credit hoc, quia ille dicit seu testificatur, sicque ex dicto hujus movetur ad credendum, quod videtur sufficere ad discursum. Non inquam obstat, quia ly quia, non dicit ibi nisi simplicem rationem credendi, et unum tantum lumen quod

est motivum assentiendi, sicut oculus videt parietem, quia est coloratus, non vero dicit rationem illativam, et probativam veritatis, quasi per illationem causando ex uno manifestationem alterius, sed unica, et simplici ratione assentiendo rei creditæ ex testificatione, non ex illatione, et diverso lumine.

IV. Ex eodem principio nascitur quod intellectus componat, et dividat in formandis propositionibus, sicut quod discurrat in deducendis veritatibus: componere enim dicitur, quia in unius simplicis rei conceptu non videt quid illi rei possit attribui, vel removeri, sed alio conceptu attingit subjectum, de quo aliquid dicitur, alio id quod de illo dicitur, et ex utroque format, seu componit enuntiationem. Solum est differentia, quod formatio propositionis ex pluribus procedit ad unum; et sic præsupponit plures conceptus simplices terminorum: tendit vero ad connexionem, seu comparationem, aut unitatem illorum, sive hæc adunatio, et comparatio fiat per tertium conceptum, qui unus entitative sit, sive per ipsorum plurium respectuum, et collationem, de quo supra disputatione secunda diximus, et in summulis, quæstione quinta. At vero discursus non tendit ad uniendum, seu adunandum conceptus, sed ad deducendum veritates, unam scilicet ex alia inferendo; et sic magis respicit ordinem causæ, et effectus, seu modum unius ex alio per illationem, quam adunationem, et formationem alicujus ex pluribus.

QUIT SIT TENENDUM.

V. His suppositis, circa discursum Angeli versantur tres sententiæ, eodemque modo applicantur compositioni, et divisioni.

Prima admittit in Angelis discursum, sicut in nobis tam circa res naturales quam supernaturales, tam circa ea quæ evidentiter cognoscit, quam quæ non evidentiter. Ita Scotus in II, dist. VII, qu. §. Contra conclusionem, et in prologo primi sententiarum, tertia parte, q. IV et V laterali, et aliis locis. Attribuitur etiam Gregorio, Ocham, Gabrieli, quos citat Vasquez hic disp. CCXXII, c. I.

Secunda sententia per aliud extremum nullum discursum attribuit Angelis, neque in cognitione rerum naturalium, et sibi evidentium, neque in notitia supernaturalium, aut sibi non evidentium. Hæc est communis inter Thomistas Cajetanus super quæstionem LVIII, art. III, ibi Bagnez, Zumel, Nazarius, Navarrete contr. LXXI; Carmelitani Salmanticensis tract. de Angelis, disp. VIII, dub. II; Capreolus in II, dist. III, q. II, ad argumenta contra decimam conclusionem; Ferrariensis III contra gentil. cap. XCI, et alii.

Tertia sententia est media, as-truitque Angelo per se non convenire discursum circa naturalia objecta, et ea quæ evidentiter cognoscit, bene tamen posse discurrere circa objecta supernaturalia, et ea quæ obscure cognoscit. Non tamen eodem modo explicant hoc auctores hujus sententiæ. Nam Suarez lib. II de Angelis, c. XXXIII, absolute tribuere videtur Angelis discursum circa hæc objecta. Vasquez vero disputatione CCXXII citata, c. III, non absolute tribuit discursum, sed aliquem modum discursus: distinguit enim in discursu duo. Primum, quod aliquid cognoscatur ut ratio alterius, et medium ad alterum, ita quod non immediate videatur in se. Alterum, quod distincta cognitione videatur unum et alterum; ita quod una cognitio sit causa alterius, et non solum objectum unum sit ratio alterius: hoc enim in eodem simpli-

ei actu potest contingere. Sic ergo primum dicit posse in Angelis reperiri respectu objecti cogniti supernaturali modo, eo quod hæc cognoscunt Angeli conjecturaliter, et in alio, non immediate in se. Secundum vero dicit non reperiri in Angelis, quia eodem actu possunt simul plura apprehendere, ut viso miraculo possunt in eo per eundem actum cognoscere divinitatem Christi. Et ideo non simpliciter attribuit Angelo discursum, sed aliquo modo, scilicet ex parte objecti, non ex parte cognitionum, seu cognoscentis. At vero Molina super hanc quæstionem LVIII, art. III, §. Ex alio capite, verum, et proprium discursum Angelis attribuit, sed per accidens, hoc est quando id quod ex alio conjiciunt non possunt in una eademque notitia conjungere, ut quia unum videtur abstractivum, aliud intuitive, quia arbitratur non posse unam, et eandem notitiam esse intuitivam, et abstractivam etiam respectu diversorum, et ita quando Angelus videt unum effectum, et ex illo conjecturaliter, vel etiam certo cognoscit causam, quam non videt vere et proprie discurret, sicut cum visis creaturis cognoscit dari unum Deum, viso miraculo Christi conjiciebat dæmon, ipsum esse Deum; viso aliquo signo, seu effectu externo, conjicit cogitationem esse in corde alicujus. In his, et aliis similibus casibus Angelus vere discurret, quia habet plures notitias, quarum una causatur ab alia: ergo est vere discursus; sunt autem plures notitiæ quia non potest una esse simul abstractiva, et intuitiva.

VI. Eodem modo sentit Molina de compositione, et divisione, quod quando prædicatum est necessarium, et per se connexum subjecto, viso subjecto per eandem speciem cognoscit prædicatum; et sic non componit: cum vero prædicatum

non est necessario annexum subjecto, nec per eandem utrumque extremum videtur, et consequenter neque per eundem conceptum, tunc Angelus vere componit si illa extrema jungat. Idem sentit Vasquez disp. CCXXIII, c. I, respectu accidentium supernaturalium, quæ Angelis attribuit alicui subjecto, quia non nisi per diversam speciem, et conceptus possunt conjungi ista extrema, et consequenter utitur compositione. Multo autem difficilius dicit posse teneri quod in Angelis non sit divisio per quam negetur unum de altero eo quod negatio fit separando ea quæ diversa sunt, et diversis speciebus, et conceptibus cognoscuntur, sicut cum dicit hominem non esse lapidem, ubi autem sunt plures conceptus in attribuendo vel negando unum alteri, ibi est compositio, et divisio: ergo si separatio fit per plures conceptus, Angelus vere dividit. Idem sentit probabile Suarez libro II de Angelis, cap. XXXII.

VII. Nihilominus dicendum est primo, Angelum non posse discurrere neque per se, neque per accidens circa objecta naturalia. Quod si verum est fundamentum D. Thomæ ad probandum quod intellectus Angeli non discurret, etiam probat circa nullum objectum discurrere. Hæc conclusio non aliunde melius deducitur quam expendendo rationem ipsam D. Thomæ quam adducit, tum in hac quæstione LVIII, a. III, tum in quæstione VIII de veritate, art. XV, scilicet ex differentia intellectus angelici ad nostrum, quia nos sumus rationales, Angeli autem pure intellectuales. Habent enim se Angeli in genere intelligibili respectu intellectus nostri sicut in genere corporali suprema corpora, et incorruptibilia respectu corporum inferiorum. Ideo autem illa corpora incorruptibilia sunt, et ingenerabilia, quia suum esse, et suas perfectiones

postulant non acquirere per motum, et transeundo de imperfecto ad perfectum, et de potentia ad actum, sed postulant habere suam perfectionem statim a principio: si enim sic non haberent, acquirerent eam per motum, et consequenter generatione aliqua, et corruptione: ergo Angeli qui in genere intelligibili sunt supremi intellectus creati, in hoc debent elevari supra intellectum infimum, qualis est humanus, quod illi habeant suam perfectionem intelligibilem, seu in genere intellectuali, non acquirendo eam per motum, et deducendo ex aliqua manifestatione id quod est sibi ignotum, sicut in motu ex eo quod est in actu reducitur id quod est in potentia in actum. Perfectio autem intellectualis naturæ est attingentia veritatis: ergo in ea attingenda non debent eodem modo procedere supremi intellectus, qui sunt perfecti sicut infimi procedunt, qui non possunt visa aliqua veritate statim attingere et penetrare quicquid cum ea connexionem habet, quia non procedunt in attingenda veritate per comprehensionem, sed per motum seu discursum, et de una veritate nota ad aliam minus notam: intellectus ergo supremi, qui in genere intellectuali perfecti sunt, oportet quod in veritate attingenda cum perfectiori, et superiori actualitate procedant, et in eo in quo inferior intellectus, scilicet humanus se habet in potentia, scilicet non penetrando neque comprehendendo in aliqua veritate totum quod ei convenit, et intelligibile in eo est, angelicus qui est ex natura sua superior, id habeat in actu; et sic comprehendat actu, quod humanus attingit transeundo de potentia ad actum. Et hoc ideo, quia ea quæ ex sua natura, et non per accidens superiora sunt in entibus, et subordinant sibi inferiora,

continent actu et unite ea quæ in inferioribus sunt in potentia, et multiplicia seu divisa, ideoque in eis proceditur de potentia ad actum, et præsertim hoc habet, verum si illa superiora influunt in inferiora, ita quod potentialitatem inferiorum reducunt ad actum, et eorum defectibus provident. Quod autem habetur in superioribus unite, et per modum actualitatis respectu eorum quæ divisa sunt in inferioribus, et potentialiter se habent, hoc est haberet illa comprehensive, quia in simplicitate colligunt, et comprehendunt quod divisum, et de potentia ad actum procedendo habent inferiora. Quod si etiam influunt in inferiora, eorumque potentialitatem reducunt in actum, manifestum est quod debent habere in actu, quod potentialiter in inferioribus, ac per hoc per modum motus accipitur. Et ad hoc affertur exemplum de cælo respectu inferiorum, quia non perficitur in esse, et augmento suo per motum, sicut inferiora; et ita universaliter influit in illa, quod continere debet unite, et comprehensive, quod in inferioribus est multiplex, et dispersum per suam potentialitatem.

VIII. Applicando ergo ista intellectui angelico, qui est supremus, et perfectus in genere intelligibili, invenimus quod naturaliter Angelus est superior in intellectu ad hominem, et intellectus humanus subordinatus illi: neque hæc superioritas convenit, et per accidens, sicut unus homo potest esse alteri superior in intelligendo, licet omnes æquales sint, sed per se, et naturaliter, quod demonstrat ejus pura spiritualitas, et separatio ab omni materia, ex hoc enim clare colligitur quod intellectus Angeli non per accidens, et tamquam res ejusdem lineæ, et speciei, sed ex natura sua, et per se est superior, et subordinat

sibi intellectum hominis, ita quod potest illum perficere, et illuminare in omnibus intelligibilibus, licet cum ordine ad sensibilia, sub quibus veritas velata nobis proponitur, ut docet S. Thomas infra, quæst. cxi, articulo primo. Ergo oportet quod Angelus utatur comprehensione, et actuali intelligentia respectu eorum quæ homo per motum, et exeundo de potentia ad actum intelligit. Patet consequentia, quia superior causa, et de se influxiva, et perfectiva inferiorum debet actu, et magis unite continere ea quæ in inferioribus sunt magis in potentia, et magis divisa, si quidem omnia illa quæ homo per discursum intelligit, et procedendo de potentia ad actum potest Angelus perficere, et illuminare, et in actum reducere: ergo respectu eorum est in actu, et non procedens de potentia in actum: ergo comprehensione utitur, et non motu, seu discursu, quia illa est comprehensio, quæ nihil relinquit non intellectum in objecto: ergo implicat quod intellectus comprehensivus, et procedens perfecte, non actu intelligat omnia quæ ad talem rem pertinent: ergo repugnat quod procedat discursive, si procedit comprehensive, quia sunt oppositi modi inter se discursus, et comprehensio: illud enim comprehenditur, cujus nihil latet videntem; et sic non habet necesse procedere de una manifestatione ad aliam, cum nihil lateat hoc ipso quod ad intelligendum accedit, illud autem discurretur, quando aliquid latet videntem, quod ex manifestatione alicujus manifestatur ex alio ut inferente, et deducente rem ignotam, non in se manifestante. Intellectus ergo Angeli cum ex vi, et perfectione suæ naturæ procedat comprehensive circa objecta quæ attingit, non procedit discursive. Quod autem comprehensive proce-

dat, deducitur ex eo quod intellectus Angeli est naturaliter superior ad intellectum hominis, et ita superior quod potest influere in illum, et perficere. Unde debet habere proprietates rei, et causæ superioris respectu inferiorum, sicut in rebus corporeis habet cælum respectu horum inferiorum, quorum potentialitates actuali, et imperfectiones reducit ad perfectum; et sic debet unite habere quæ inferiores intellectus habent disperse, et potentia; et sic habet ex natura sua Angelus esse comprehensivus in veritatibus, et non discursivus, quia unite tangit, et actu quæ nos per motum, et discursum, et procedendo de potentia ad actum. Unde S. Thomas non procedit ex similitudine cælestium corporum solum quasi ab exemplo, nec quasi ex ratione solum probabili, aut a posteriori, ut aliqui superficialiter attingentes litteram D. Thomæ existiment, sed procedit efficacissime ratione ducta a priori ex eo quod Angeli sunt intellectus ex natura sua comprehensivi, ut patet in illis verbis, quod: « Angeli statim in illis quæ primo naturaliter cognoscunt inspicunt omnia quæcumque in eis cognosci possunt, » hoc enim est intellectus illos esse comprehensivos. Quod vero comprehensivi sint, probat ex perfectione quam habent in genere intelligibili, scilicet quia illum gradum habent in hoc genere quem corpora cælestia inter res corporeas. Quod quidem non probat ab exemplo, sed ex propriis intellectus angelici, declarat vero quod nos quomodo ista vis comprehensiva eis conveniat, et perfectionem in attingenda veritate sine motu habeat ex similitudine cæli respectu inferiorum. Et hanc rationem desumpsit S. Thomas ex D. Dionysio, qui perpetuo affirmat Angelos non congregare ex pluribus intelligentiam suam, sed sim-